

rettuli, cf. adn. in ep. 80, 9. 81, 16. 83, 4. 85, 29. 86, 6. 9 al. at quae ab altera manu (V²) mutata aut superscripta notarat Kroll, ea ut sine ulla quod aiunt deductione communicarem cum legentibus, a me non obtinui: adeo futtilia haud raro sunt et inepta. non nulla ut hoc saltem loco adponam quippe in ipsum apparatus non recepta, ep. 71, 14 *addixerit* mutavit in *addixerit*, 75, 7 supra *abstinendus* scripsit *abscidendus*, ib. 8 est *hec im* supra *ut existimo*, 78, 9 *uenarum* supra *vertebrarum*, ib. 10 inter *hac* et *quaerula* super addidit *quam*, 81, 8 maluit *grati*, ib. 14 veri vestigia *derata sed* ita obscuravit ut *derata s* expungeret, expunctis super adderet *dederat*, denique *ed* mutaret in *et*, ib. 20 post verba *non aliter quam per speciem iniuriae* supra versum inepte iteravit *quam*, 84, 10 supra *aeneatoribus* posuit *a contuitoribus*, 85, 20 pro *multo* dedit *multo*, 87, 29 supra *praeteream quid* scripsit *del. et propterea simul quod* mutans in *quid*, ib. 38 supra *sophisma* addidit *fo pk* *calūniā*, 88, 6 in verbis *cum minor Haecuba fuerit* dedit *utrum* supra *cum* litteris *cu* expunctis, ib. 18 atq. supra *aequae*. vellem licuisset ubique procul habere ab adnotatione id genus temeritatis. aliquotiens tamen commemoravi, non solum ut specimina eius offerrem lectori, sed ut ne obscurum esset si quid primariae scripturae oblitteratum erat. accedit quod utilem non numquam codici operam navavit corrector ita ut litteras syllabasve falso traditas punctis notaret rectasque supra versum poneret vel alio modo saniolem rationem redderet adscito interdum libro interpolato velut ep. 87, 4 ubi *uelim* adscripsit supra *nolim*. consimilem autem huic rationem inii in eis, quae 'recentior' quam vocavi manus corrigendo novavit. non nulla sunt probiora (cf. adn. ep. 66, 19. 23. 67, 7. 74, 33. 75, 7. 76, 29. 77, 7. 78, 18. 81, 22. 83, 16 extr. 87, 7. 41. 88, 1 al.), pleraque tamen ita temeraria, ut non nisi pauca proposuerim quasi gustum daturus (velut ep. 67, 1. 77, 6. 9. 10. 12. 78, 18. 85, 5. 7. 86, 12.